



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1694**

§. XXI. Reprehendit Christus Petrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](#)

loquente, si quis jacet hic paralyticus, surget, & tollet grabatum suum: si quis cæcus, respiciet: si quis leprosus, mundabitur: si quis mutus, loqueretur: si quis claudus, ambulabit: si quis surdus, audiatur. Tibi patent omnium aures, imò & mentes.

Dete canemus, loquemur, cogitabimus, quia nil canitur suavius, nil auditur iucundius, nil cogitatur dulcissimus, quam Iesus Dei Filius. Quid mirum? Quando cor nostrum visitas, tunc lucet ei veritas, mundi vanescit vanitas, & intus servet charitas: ut ergo illa terular, tu loquere, & ut te loquentem audiam, silebo ego.

S. Bern.

## §. XXI.

## Reprehendit Christus Petrum.

**U**t vidi Christus Petrum ferro armatum, sic coram se, & pro se cum hostibus congregantem, sic eum arguit: Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum: quasi diceret: Mi Petre; cesset indignatio, comprime iram, compesce furorem, cohibe impetum. Non Iudas proditor, non Annas factilagus, non irritor Herodes, non injustus Præses hunc calicem mihi propinat. Hic calix mittitur è cælo, non è terrâ: à Dœo, non ab homine: à Patre, non ab hoste. O ingens in omni afflictione solatium! si quid mali pateris, Deus non tantum ut patiaris permittit, sed cupit. Tu roderis malevolorum dentibus, laceraris contumeliis, proscindaris convitiis: O amarum, inquis, calicem! tu horres illum ut toxicum, & est tibi pharmacum: illum calicem tibi proponit non homo ille male-dicus, sed cœlestis medicus. Ego ad illum dignitatis gradum aspirabam, ut tandem respirarem: nihil non egi, & tuli, ut illo potirer, & ecce, me

Matt.  
26.12:  
Ioan.18.  
II.

Adversa  
à Dœo  
imini-  
tuntur.

post-

postposito, <sup>et</sup> aliis præponitur, & ego spe excidi:  
 ô malum intolerabile! imò ô bonum incredibile  
 ille quem aspectabas gradus, fors tuisset animæ  
 interitus. Non est dedecus contemni, sed facere  
 contemptibilia. Contemne tui ipsius contem-  
 ptum, & dic arrogantiæ obgannienti: *Calicem,*  
*quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* toties  
 bibisti, & ebibisti calicem, quem dedit tibi Bac-  
 chus, quem Venus, quem Plutus, animæ tuæ ho-  
 stis, proditor, tortor, & rejicis calicem, quem dat  
 tibi Pater; Da Pater quem mihi offers calicem:  
 submississimâ totius tum corporis, tum animi re-  
 verentia me prosterno, ut de manu tua accipiam  
 calicem, & cum summa veneratione manū dan-  
 tis exosculabor: & ut tollatur illa, quæ in illo cali-  
 ce est amaritudo, supponam hunc calicem sacra-  
 tissimæ tuæ fronti; ut in eum stillet vel gutta tui  
 sudoris: supponam amabilissimis tuis oculis, ut  
 in eum defluat vel unica lachrymula: scio enim  
 quia lachrymatus es Iesu. Supponam & lateri  
 tuο quod lancea aperuit, ut decidat gutta sanguini-  
 sis: satis enim est ad tollendam omnem amari-  
 tudinem mei calicis vel gutta tui sanguinis. Sic  
 bibam calicem, quem dedisti mihi Pater, & fra-  
 ter meus, ut illo exhausto, introducas me in cel-  
 lam vinariam, ubi torrente voluptatis tuæ pota-  
 bis me, & inebriabor ab ubertate domus tuæ.

## §. XXII.

## Fuga Discipolorum.

**Matt.** **26. 55.** *P*ostquam Christus intempestivum Petri ze-  
 lum paternâ admonitione corripuisse, à  
 Discipulis suis conversus ad hostes suos, dixit:  
*Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & lignis com-  
 prehendere me: quotidie eram apud vos in templo do-*

*genii*